

$$\begin{array}{l} \text{Datis} \left\{ \begin{array}{l} A, M, \\ A, V, \\ M, V, \end{array} \right\} \text{Datur} \left\{ \begin{array}{l} V = 2M - A. \\ M = \frac{A+V}{2} \\ A = 2M - V; \end{array} \right. \end{array}$$

34 Atq; idem valet de tribus quatuorve terminis progressi-
onis Arithmeticae, utut non immediate proximis, modo æqua-
libus utrobq; intervallis distantibus. Puta, si $a, b, c, d, e, f, g,$ sicut
erit $a + e = 2c$. Nam & $a, c, e,$ sicut per prop. 14. Item $a + f =$
 $c + d$. & $d + e = b + g$. Et sic alibi. Nam $a, c, d,$ sicut vel $a, d, c, f,$
& $b, e, d, g,$ vel b, d, e, g . &c. per pr. 12.

35 Sed & præcedentium aliquot conversæ pariter demon-
strantur. Puta conversâ pr. 28. In continua progressione Arith-
metica, (excepta tantum progressione æqualium, ubi excessus
est ubiq; nullus, puta, 1, 1, 1, 1, &c. sicut; quæ & deinceps ali-
quoties excepta intelligatur.) si duorum intermediorum ter-
minorum aggregatum aggregato extremorum æquetur, sunt
illi ab extremis æqualiter utrinq; remoti; (hoc est, quot gra-
dibus intermediorum alter ab altero extremorum, tot reliquis
a reliquo distat.) Puta in progressione $a, b, c, d, e, f, g,$ sicut si $c + e$
 $= a + g$, totidem gradibus distant a, c , atque e, g ; item a, e , at-
que c, g . Cum enim quanto duorum c, e , alter major est quam
 a , tanto alter minor sit quam g , (secus enim aggregata non
essent æqualia,) distantia utrobique æqualis erit per prop. 13.

36 Et conversâ prop. 29. Si termini alicujus intermedii du-
plum æquetur aggregato extremorum: æqualiter ille ab utro-
que extremo distat. Probatur ut præcedens.

37 Item conversâ prop. 30. Si unius termini duplum æque-
tur duorum aggregato, erit ille medius Arithmeticus inter hos.
Nam, nisi æqualibus differentiis horum tum alter major sit tum
alter minor, quam est expositus, non constaret æqualitas.

38 Similiter & conversâ prop. 30. Si bini binis simul sint
æquales, erunt illi quatuor termini Arithmetice (ut loquun-
tur) proportionales. Puta si $A + V = M + N$, quanto horum
alter puta M , superat alterum illorum puta A , tanto horum
reliquus ab illorum reliquo deficit; (nam nisi excessus & defe-
ctus se mutuo perimant non constabit aggregatorum æquali-
tas.) Ideoque $M - A = V - N = E$. Ergo $A, M = A + E$
 N